

1331-1331- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Victoriam Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capitulo generalis celebrati apud Victoriam
 anno Domini · M° · CCC° · XXXI° .

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris conventionalis, ubi dicitur: Qui primitus habitum nostri ordinis suscepserunt, addatur sic: si tamen post professionem a nostro ordine nullatenus discesserunt, nisi per magistrum ordinis vel generale vel provinciale capitulum fuerit cum eis dispensatum.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de sollempni celebracione capituli, circa finem, ubi dicitur: magister ordinis cum assensu etc., deleatur: cum assensu, usque ad illud: transferre possit, et dicatur sic: magister ordinis vel eius vices gerens de discretorum consilio ad alium conventum eiusdem provincie transferre possit capitulum generale. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: In ordinario in rubrica de memoriis faciendis, ubi dicitur, quod in paschali tempore fiat memoria de cruce nisi in totis duplicibus, deleatur: totis duplicibus, et dicatur: in duplicibus et supra. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: Quod de sancto Thoma de Aquino fiat memoria per octavas ipsius in laudibus per antiphonam: Collaudetur, et in vesperis per antiphonam: O Thoma, cum versiculis et oracione consuetis. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: Quod de sancto Servacio episcopo et confessore fiant tres lectiones tercio idus maii. Et magister ordinis curet interim de officio providere. Et hec habet duo capitula.

Et hec omnia in locis suis in ordinario annotentur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: omnibus fratribus ad conventum illum pertinentibus, si commode etc., deleatur: si commode, et addatur sic: convocatis, si infra unam diem possit ad eos nuncius pervenire. Et hoc idem in electione prioris conventionalis et tractatu eorum, que mittenda sunt ad capitulum provinciale, observetur. Et hec habet tria capitula.

Item hanc: Quod de angelis fiat memoria per octavas in laudibus per antiphonam: Angeli, archangeli, versum: In conspectu angelorum etc. In vesperis per antiphonam: Laudemus dominum, et versum: Angelis suis etc. Et hec habet tria capitula.

Item hanc: Quod fiat festum · xi · millium virginum trium lectionum. Et hec habet tria capitula; et magister ordinis hoc anno provideat de officio et curet in sequenti capitulo publicare.

Intimamus fratribus universis, quod de expressa voluntate domini nostri sanctissimi patris ac domini summi pontificis est, ut in nostris constitutionibus in capitulo de generali capitulo, ubi dicitur: Appellaciones enim in ordine nostro, loco: in nostro ordine, dicatur: intra nostrum ordinem. Et ob hoc mandamus et imponimus prioribus et fratribus universis, quod hec verba: intra nostrum ordinem, loco horum: in nostro ordine, in suis constitutionibus faciant annotari.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus, quod in capitulo De itinerantibus, ubi dicitur: quod prior in ordine sit prior in via: per hoc non intelligitur, quod priori in ordine aliqua iurisdictio conferatur. Et idem dicimus debere intelligi in capitulo de predicatoribus, ubi dicitur: Socius datus predicatori, ipsi ut priori suo obediat.

Item. Declaramus, quod illi, qui mortuo vel amoto priore provinciali ex vi constitutionum gerunt vices provincialium in omnibus, nullam ex hoc habeant super sorores nostri ordinis potestatem.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum in quibusdam provinciis invenerimus priores, visitatores et provincialium vicarios in privando fratres suis vocibus notabiliter excessisse, volumus et ordinamus, quod priores conventionales, supiores et eorum vicarii necnon visitatores et vicarii provincialium fratrem aliquem voce non privent, nisi a priore provinciali super hoc mandatum expressum vel commissionem habuerint specialem; et tunc eciam non nisi de discretorum consilio et assensu. Quod si secus a quocumque predictorum factum fuerit, ipso facto irritum et inane esse volumus.

Item. Quia decet, quod illi, qui sunt unius obedientie professores, eisdem foveantur oracionibus et eisdem suffragiis adiuentur, volumus et ordinamus, quod fratres per totum ordinem in omnibus oracionibus mencionem facientibus de fratribus adiungant et sorores, sicut in oracione: Deus venie largitor, et in commemoratione post lectionem de preciosa, et in versiculo litanie: Salvos fac servos tuos, addatur: et ancillas tuas.

Item. Quia nonnulli fratres contra suorum prelatorum voluntatem in scandalum ordinis non modicum presumunt extra suos conventus et provincias vagando discurrere vel eciam in habitu nostro extra loca nostri ordinis sine licencia commorari, volumus et ordinamus, quod tales omni voce penitus sint privati et nichilominus, cum redierint, pena gravioris culpe puniantur; adiuentes, quod prior loci illius statim culpam et penam talis fratris, cum redierit, provinciali suo denunciet, ut ipse de augmento vel dispensacione istius penitencie ordinet secundum exigenciam sue culpe. Nolumus enim, quod in talibus cum predictis aliis valeat dispensare, eisdem penis decernentes esse ligatos fratres assignatos provincie Grecie et Terre sancte et peregrinacioni inter gentes,

nisi infra annum a tempore sue assignacionis, impedimento legitimo non obstante, ad loca, quibus assignati sunt, accesserint, et si per provincias quascumque discurrerint sine priorum provincialium illarum provinciarum licencia speciali.

Item. Cum magister ordinis et priores provinciales interdum concedant aliquibus fratribus, quod in bonis sibi appropriatis succedant vel quod de sibi appropriatis possint infra ordinem ad libitum ordinare, declaramus et notificamus fratribus universis, quod predicte gracie de successione ad libros et quoad vitam succendentis solummodo se extendant. Gracias autem de ordinacione rerum concessas dicimus non valere, nisi in vita sanus existens cum effectu illas conferat, cui talis gracia est concessa; omnes autem gracias per magistrum ordinis vel per priores provinciales quibuscumque sub quacumque forma verborum concessas, huic presenti ordinacioni in quocumque contrarias revocat magister ordinis de omnium diffinitorum consilio et assensu.

Item. Cum redditus ad vitam emere nostre professioni obviet et nostram difformet notabiliter paupertatem, distinctione, qua possumus, inhibemus, ne frater quicumque presumat hec deinceps suo vel alieno nomine attemptare. Quod si secus a quoquam actum fuerit seu ante presentem ordinacionem in hoc inventus fuerit aliquis deliquisse, ipso facto omni percepcione illorum reddituum sit privatus, et priores provinciales de illis redditibus ordinent de discretorum consilio, prout expedire viderint ordinis honestati.

Item. Cum studentes diversarum provinciarum missi per magistrum ordinis ad alias provincias, ut in eisdem moribus et sciencia proficiant, inveniantur interdum notabiliter deficere in eisdem, volumus et ordinamus, quod priores provinciales illarum duntaxat provinciarum, ad quas mittuntur, de discretorum consilio eos possint ad suas remittere provincias, si defectuosi in moribus extiterint vel si inventi fuerint studio non insistere cum effectu; et provinciales illi, de quorum provinciis assumuntur, taliter assignatos retinere valeant et suis reassignare provinciis, si eos non iudicaverint emitendos; ita tamen quod ipsi provinciales de revocatione tali magistrum, quam cito poterunt commode, informent per litteras et de causa.

Item. Ne fratres exquisitis modis illos conventus deserant, pro quibus ad ordinem sunt recepti, inhibemus districte, ne priores provinciales fratrem aliquem determinent pertinere ad conventum alium quam ad illum, pro quo ad ordinem est receptus, nisi per simplices assignaciones in nostro ordine consuetas. Et rogamus magistrum ordinis, quod quibuscumque fratribus deputaciones vel determinaciones huiusmodi non concedat.

Item. Cum provincie Grecie et Terre sancte notabilem defectum paciantur in fratribus, concedit magister ordinis prioribus provincialibus, quod quilibet eorum de sua provincia sex fratres, vita et moribus approbatos voluntarios cuilibet dictarum provinciarum valeat assignare.

Item. Omni districione, qua possumus, inhibemus, ne camere quibuscumque fratribus concedantur, nisi forte illis, quibus ratione officii vel status ordo acterus concedere consuevit, vel nisi evidens necessitas hoc requirat, imponentes prioribus provincialibus, ut excessum quarumdam camerarum uniformitatem nostram in communi dormitorio defformancium ad uniformitatem studeant reducere cum effectu. Gracias quascunque huic ordinacioni contrarias sive a magistro ordinis sive a prioribus provincialibus concessas denunciantes penitus revocatas.

Item. Cum ex eo, quod magistri et bacalarii Parisienses expensas faciant in suis principiis, notabiliter graventur ipsimet facientes excessivas, ex quibus paupertas nostra non sine gravi scandalo difformetur, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod supradicti magistri et bacalarei nullam pictanciam faciant in die aule sue nec in diebus, quibus incipiunt lectiones suas. Et volumus, quod priores provinciales in suis provinciis consimiles excessus lectorum quorumcunque in suis principiis studeant refrenare.

Item. Cohibere volentes multitudinem fratrum ad capitula venientium, volumus et ordinamus, quod quicunque frater ad capitulum generale vel provinciale absque licencia magistri ordinis vel prioris provincialis sui venerit seu de conventu suo cum intencione accedendi exiverit, ipso facto sit simpliciter omni voce privatus, ad quam restituji non valeat nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale. Et nichilominus volumus, quod tales in actis suorum capitulorum provincialium privati voce publice nuncientur.

Item. Renovamus ordinacionem de studentibus in tota sua forma factam in capitulo generali Tholose ultimo¹.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne frater quicumque, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam accedat vel de suo conventu iter assumat, cum intencione ad dictam curiam accedendi sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali, de qua per litteras eiusdem magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem; et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sentenciam excommunicacionis late sententie ipso facto noverit se incurrisse. Quam sentenciam excommunicacionis prefatus magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sentencia sibi soli retinens et reservans. Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negotiis ordinis necessariis et multum urgentibus, ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres. Concedit eciam magister ordinis provinciali provincie vel vicario provincie illius, in qua nunc est curia vel erit pro tempore, quod ipsi cum diffinitoribus sui provincialis capituli modum inveniant, per quem refrenato discursu illius provincie ad curiam formam statuant, secundum quam provincialis illius provincie licenciare possit fratres suos ad curiam. Quam ordinacionem teneantur provinciales et vicarius

¹ Cf. supra pag. 179 l. 22 sqq.

provincie et diffinitores magistro ordinis mittere, ut ipsam modificet et confirmet. Omnem autem licenciam et potestatem licenciandi a magistro ordinis quibuscumque concessam revocat magister ordinis et annullat de diffinitorum consilio et assensu.

Item. Imponimus prioribus provincialibus universis, quod singuli infra sequens capitulum generale vel in ipso generali capitulo mittant procuratori ordinis tres florenos.

Litania more solito dicatur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Theutonie, Polonie et provincie Provincie.

Item. Conventuales Elnensem, Toletanum, Beneventanum, Burgensem, Lucensem, Salmantinum.

Et volumus, quod priores absoluti non possint in eisdem provinciis et conventibus resumi ad eadem officia isto anno.

Volumus et ordinamus, quod prior provincialis et diffinitores presentis capituli provincialis provincie Yspanie omnibus conventibus istius provincie de lectoribus provideant sufficientibus, absolvendo eciam priores conventuales, si oporteat, ut de lectoribus melius valeat provideri.

Damus in vicarium generalem in provincia Theutonie fratrem Bernardum Carrerie de provincia Tholosana, ut si in commissione domini nostri summi pontificis super provincia Theutonie sibi facta aliquid sibi desit eorum, que per constitutiones nostras conferuntur generali vicario provincie, mortuo vel amoto priore provinciali, per hanc nostram deputacionem sibi integraliter sit collatum.

Item. Damus vicarium in provincia Provincie fratrem Raymundum de Duroforti de provincia Tholosana procuratorem ordinis, donec prior provincialis electus et confirmatus fuerit et presens extiterit in eadem.

Item. Damus vicarium in provincia Polonie fratrem Mathiam, lectorem in conventu Legnensi de eadem provincia Polonie, donec prior provincialis electus et confirmatus et presens exstiterit in eadem.

Concedimus provincie Romane unam domum ponendam in Piperno.

Item. Concedimus provincie Polonie unam domum ponendam in Sinigrot.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre ac domino nostro summo pontifice quilibet sacerdos sex missas, et ordinamus, quod in quolibet conventu sit ebdomadarius pro eodem.

Item. Pro venerabili patre ac domino Guillelmo Sabinensi episcopo cardinali² quilibet sacerdos · iii · missas et quilibet conventus · i · missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Matheo tituli sanctorum Iohannis et Pauli presbytero cardinali quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis cardinalibus legatis Lombardie et Tuscie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis cardinalibus domino vicecancellario Romane curie, domino Gauselino Iohannis summo penitenciario, domino Bertrando de Montefavencio quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis cardinalibus domino Arnaldo de Pellagra, domino Raymundo de Fargis, domino Galgiardo de Mota, domino Luca, domino Neapoleone, domino Iohanne de Columna³, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis cardinalibus Petro de Mortuo mari⁴, Petro de Capis, Raymundo de sancto Papulo, Ymberto de Puteo, Bernardo de Turre⁵ quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabilibus patribus dominis cardinalibus domino Iohanne de Convenis, domino Iacobo Gaietani, domino Anibaldo⁶ et domino Iacobo Albo⁷ et domino Avignonensi et pro venerabili collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos · iii · missas. Item. Pro venerabili patre domino Petro Gomesii de Yspania⁸ tituli sancte Praxedis presbytero cardinali, quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre domino fratre Petro, patriarcha Yerosolymitano⁹, domino Iohanne patriarcha Alessandrino et pro dominis archiepiscopis Tholosano, Toletano, Savonensi, Cantuariensi, Bisuntino, Pisano¹⁰ et dominis episcopis Seguntino¹¹, Palentino, Legionensi, Tudensi, Placentino, Liconensi¹², Oxomensi, Motonensi, Urbevetano, Nepesino¹³, Perusino, Tudertino et Lucano¹⁴ quil. sacerdos · iii · missas.

² De fr. Guilelmo ceterisque cardinalibus cf. supra pag. 198.

³ Iohanne de Columna, Romano, diac. s. Angeli; cf. EUBEL l.c. pag. 15

⁴ De Petro de Mortuomari, Lemovicensi, ep. Autissiodoren., tit. s. Stephani in Coelio monte; Petro de Capis (Chappes), Gallo, ep. Carnoten. tit. s. Martini in Montibus, Carnoten.; Imberto de Puteo (Dupuis) Montepessulano, basilicae XII apostolorum, cf. ibid.

⁵ De Bertrando de Turre aliisque cf. supra pag. 198 l. 10 sqq.

⁶ Annibaldo Gaietani de Ceccano, aep. Neapolitano, tit. s. Laurentii in Luc., postea (a. 1333) ep. Tusculano, cf. EUBEL l.c.

⁷ Iacobo Novelli (Fournier) O. Cist. Tolos. ep. Mirapiscen., tit. s. Priscae, postea Benedictus papa XII; ibid.

⁸ De Petro Gometii cf. supra pag. 198 l. 16.

⁹ De fr. Petro cf. ibid. l. 20.

¹⁰ Simone Saltarelli O. Praed. ep. Parmen.; EUBEL l.c. pag. 420.

¹¹ Alfonso Petri de Zamora O. Praed. ibid. pag. 467.

Item. Pro venerabili patre ac domino archiepiscopo Nicosiensi¹⁵ quilibet sacerdos · i · missam.

Pro domino archiepiscopo Cesaraugustano quilibet sacerd. · i · missam.

Item. Pro illustrissimo rege Castelle et domina regina consorte sua quilibet sacerdos · iii · missas.

Item. Pro serenissimo principe domino Philippo rege Francie et domina regina consorte eius quilibet sacerdos · iii · missas. Item. Pro domino Iohanne primogenito regis Francie quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro illustrissimo principe domino rege Anglie et domina regina consorte sua ac inclita prole eorum quilibet sacerdos · iii · missas.

Item. Pro illustrissimo principe domino rege Aragonie quilibet sacerdos · ii · missas.

Item. Pro Elyonore regina Aragonum ac domino Fernando Dertusce, liberis eius, quilibet sacerdos · ii · missas.

Item. Pro domino rege Portugallie et domina regina Navarre et domina regina et liberis eorum quilibet sacerdos · ii · missas.

Item. Pro dominis regibus Ungarie, Sicilie, Boemie, Maioricarum, et domino rege Cyprie, Suezie, Norvegie et pro domina matre eius et domina Isabella regina antiqua Norvegie, et domina Andeba, filia eius, ducissa Svecie, et domina Elysabeth quondam Boemie et Polonie regina quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domino Iohanne filio infantis domini Hemmanuel et domina Bertha uxore sua ac domina Constancia filia sua quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro domina Iohanna de Bara ac domino Iohanne Nurii filio suo et sororibus suis quilibet sacerdos · ii · missas.

Item. Pro domina infantissa domina Maria de Olgis et domina Iohanna Gomecii quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro domina Taracia Velacii, domina Urracha de Fremusella quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro dominis comitibus domino Karulo comite de Alanzone, domino Roberto Atrebateni ac dominis comitibus Lancastrie, Garnurie, domina comitissa Marchie, domino Petro de Via, domino Arnaldo de Osa, domina Uga, sorore domini nostri domini summi pontificis, et pro dominis Gensers de Montesquirno et Gensers filio suo, Sclarmonda sorore sua et Belsguard uxore eius et liberis eorumdem, quil. sacerdos · i · mis.

Item. Pro sorore Beatrice de Caioto quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro priorissa et monasterio de Pissiaco et pro sororibus Ysabella de Valesio, Maria de Claramonte, Ysabella de Atrabato, Maria de Britannia et pro priorissa et sororibus de Pruliano quil. sacerdos · i · mis.

Item. Pro sorore Felicitate de Lucimbure, domina Alice de Rupeforti, domina de Thaleio quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro venerabili patre magistro ordinis quil. sacerdos · iii · mis. Item. Pro clero et populo Victoriensi et pro bono statu ville Victoriensis quilibet sacerdos · i · missam. Item. Pro fratribus nostris et sororibus, pro fratribus minoribus, pro Neric de Monte Policiano hospite nostro, et pro illis, qui receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeuntes, et pro illis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, et pro illis, qui benefecerunt capitulo generali, quilibet sacerdos · iii · missas.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro venerabili patre domino Berengario, quondam [archiepiscopo] Compostellano ac quondam magistro ordinis¹⁶, quil. sacerd. · iii · mis.

Item. Pro domino Canuto quondam duce Alandie, dominabus Christina et Gorgerdi et pro Eduardo Phi ... filio, magistro Alerno, domina Elizabeth et Roberto Gontal, magistro de Pliverno quil. sacerdos · i · mis.

Item. Pro domina Sanctia, domina Elyonor, domina Natilla, domino Iohanne de Leva, uxore et liberis, magistro Leodegario Antis canonico, domina Terlesia, domina Maria, domina Iohanna Celarand quilibet sacerdos · i · missam.

Item. Pro fratribus et sororibus nostris defunctis, et pro illis, qui habuerunt litteras de beneficiis ordinis, et Angelo de Monte Policiano quilibet sacerdos · iii · missas. Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos · vii · psalmos cum letania et quilibet conversus · c · pater noster et totidem ave Maria dicant.

Summa missarum pro vivis · iv ·

Item. Pro defunctis · viii ·

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Peregrinum de provincia Tholosana¹⁷.

Item. Pro anno sequenti, quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias Parisius fratrem Alanum de Stagno de provincia Francie.

Item. Assignamus in lectorem in conventu Bononiensi fratrem Ricardum Wichele magistrum in theologia de provincia Anglie.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalaris et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicium approbamus.

¹² "Liconensi" legendum esse puto "Lucensi (Lugo)".

¹³ Gentili Bentivenga O. Praed.; ibid. pag. 380.

¹⁴ Guilelmo Dulcini de Monte Albano O. Praed.; ibid. p. 327.

¹⁵ Cf. supra pag. 198 l. 24.

¹⁶ De fr. Berengario cf. supra pag. 198 l. 20.

¹⁷ De fr. Peregrino de Mercatore cf. DENIFLE l.c.pag. 344, 448, 462

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Divionensi in provincia Francie; et ordinamus, quod diffinitores, qui diffinient anno futuro, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante · viam · feriam festum pentecostes precedentem.

Quicumque vero contrarium fecerit, sit ipso facto voce privatus et penam culpe gravis facere teneatur.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXX.